

Et qvidem (1) *Rapere* est nihil aliud, qvam vi qvadam adhibitâ aliquid auferre; Inde crimē raptus locum tum habebit, quando aliquis conjugem, vel etiam virginem honestā per vim & velut impetu facto abducit.

Inde (2) *Crimen raptūs* non committitur sine qvadam violentia, qvæ non præsumta, sed vera esse debet. Si non ipsius feminæ, qvæ raptâ est, utpote qvæ forsitan consentire potuit in illud delictum; attamen respectu conjugis, parentis, vel alterius, in cuius custodia mulier detinebatur. *c. de raptoribus. 35. qv. 1.* Theodor. *c. b. aphor. 8. n. 5. p. 879.* Itaqve tum demum raptus propriè dicitur, cum femina violenter rapitur, & ita abducitur. *per l. 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Et licet raptor illam fraudulentis persuasōnibus induxerit, & ut secum abiret, illam dolosis artibus circumvennerit; tamen exinde non excusatur à delicto raptus, cum hac ratione voluntas mulieris ab insidiis neqvissimi hominis inducatur, *per L. unic. C. de rapt. virgin.* Hinc seducta voluntas est violentiæ qvædam species: qvini mò hac ratione persuasio dolosa gravius qviddam est, qvædam coactio violenta. *L. 1. §. 3. ff. de Servo corrupto. l. 3. §. 5. ff. de lib. hom. exhib.* Cothm. *Vol. 3. Ress. 30. n. 22. fol. 205.* Itaqve violentia & tamen illata dicitur, si femina volens qvidem cum raptore abeat, sed blanditiis dolosis, & persuasōnibus callidis seducta; qvibus si non fuisset circumventa, nunquam raptorem fuisset secuta. Farinac. *l. 1. Consil. Crimin. 33. n. 40. fol. 209.* Cum primis autem raptus crimen committitur erga puellam, qvæ licet consentiat, tamen non sit sui Juris, sed sub alterius potestate. Farinac. *part. 5. qv. 145. n. 118. fol. 573.* *Crim.* Aliud tamen dicendum est, si femina ab initio liberè citra fraudulentas persuasōnes & circumventiones consenserit in raptum, imò & illa alteri persuaserit, ut se abduceret, tum sanè pœna raptus cessat. Farin. *d. qv. n. 120. fol. 674.* Qvod tamen non præsumitur, sed probandum est, vel testimoniis omni exceptione majoribus: indiciis & conjecturis, ut si probetur, qvòd puella effictim amaverit raptorem: & qvod non clamaverit, ploraverit, nec aliorum auxilium invocaverit, dum raperetur; imò confessione mulieris ipsius probatur consensus, qvanvis isti confessioni standum non sit, si indicia & præsumtiones extent in contrarium. Imò illam confessionem planè non sufficere, docet Ægidius Bossus in *Criminal. Tit. de raptu mulier. n. 18. p. 329.* nisi illa fuerit reducta in domum parentis, & pristinæ libertati restituta, Vide Farin. *de Qu. 145. n. 143. & seqq. usq; ad finem f. 676. & 677.* Decian. *l. 8. c. 7.* *Crimin. num. 22. fol. 27.* Gomez. *ad L. Tauri 80. n. 44. fol. 558.* Interim probari debet consensum feminæ intervenisse ante, non autem post raptum. Nam si post raptum interveniat, tum præsumtio est metu.